

scipienda excitaret, dicere iis solitus erat: omnia mundi oblectamenta esse momentanea, inferni vero pœnam esse æternam: *voluptas brevis, poena perpetua*. O frater, eadem verba sæpissime repete; dic tibi ipsi, voluptas qua fruor in possessione divitiarum quas inique detineo, *brevis est*; voluptas quam percipio in ludis, in libilinis, et in ebrietatibus *brevis est*; voluptas quam in hujus et illius creaturæ amore degusto, *brevis est*; si autem non convertar ad Dominum Deum meum, supplicia quæ in inferno patiar, non brevia, sed perpetua erunt. Hæc recogitate, hæc serio meditamini, et frequentius hac meditatione excitamini ad scopendam et purgandam ab omnibus peccatis conscientiam vestram: ut mereamini et hæc supplicia declinare, et æternam beatitudinem obtinere. *Amen*.

## DOMINICA TERTIA.

## DE CONFESIONE.

*Erat Jesus ejiciens demonium, et illud erat mutum.*  
(Luc. 11, 14).

A veritate, et a recta ratione multum aberasse videtur stolicus ille philosophus, qui silentium nulli unquam nocuisse asseruit, dicens: *nam tacuisse nocet nulli, nocet esse locutum*. Scimus enim Isaia propheta nocuisse silentium, cum se infelicem dicat eo quod tacerit: *ve mihi, quia tacui* (6, 5). Multis aliis etiam tacere nocet, cum, scilicet ea tacent que dicere tenentur. Certum est, aliquod silentium esse bonum; ac certum est etiam, aliquod silentium malum esse et noxium. Si vir religiosus sileat, loco et tempore sibi præscripto, ecce bonum silentium: si autem quis sileat, cum tempus est loquendi, et tunc præcipue cum peccata sunt in confessione declaranda, ecce

silentium vere noxium et pessimum. Istud est silentium, ad quod homines allicere conatur satanas: si enim mutus dicatur daemon ille, quem hodie ejecit Christus, non inde hoc sortitur nomen, quod vere mutus sit, sed quia homines mutos reddit, impediens ne peccata confiteantur. O quot hodie hujusmodi muti! quot a dæmone mutuo possessi; qui aut nullo modo peccata sua confitentur, aut eorum aliqua in confessione reticent! Ut dæmonia illa muta ejiciantur, sed confessione sacramentali disseram in hac occasione. *Ave*.

Confessio sacramentalis, quam Christus Dominus instituit, est *legitima accusatio de peccatis propriis facta sacerdoti jurisdictionem habenti, ad veniam obtinendam virtute clavium*. Confessio sacramentalis non est excusatio, sed *accusatio*; quia poenitens debet in confessione adversum se testificari, seque accusare. Confessio est etiam *accusatio de peccatis*: poenitentes enim in confessione non debent virtutes suas jactanter narrare, instar Pharisei, sed debent se accusare de peccatis, et cavere ne confessario peccata aliorum manifestent, quia confessio non est *accusatio de peccatis alienis*, sed *de peccatis propriis*. Hæc *accusatio* debet etiam fieri *sacerdoti jurisdictionem habenti*, et non alteri, quia solus sacerdos jurisdictionem habens potest valide a peccatis absolvere. Hæc tandem *accusatio* fieri debet *ad veniam a Deo obtinendam virtute clavium*; si enim non ad hunc finem quis se accusaret, peccatorum veniam virtute clavium non impetraret. Ecce quid sit confessio sacramentalis, cujus jam videbimus 1. necessitatem; 2. virtutem; 3. qualitates.

## I PARS.

*Confessionis necessitas.*

Aliquam peccatorum confessionem, saltem in corde et interius Deo factam, in lege naturæ fuisse necessariam sentit Sanctus Gregorius; et ideo ait, quod Deus Adamum peccatorem que-

sierit dicens, Adam, ubi es? ut ad confitendum peccatum quod perpetraverat, illum alliceret: *hoc a Deo requisitus est, ut peccatum, quod transgrediendo commiserat, confitendo deleret* (Mor. 12, 13). In lege mosaica, constituta populi Dei synagoga, datis sacerdotibus et sacramentis, exigebatur quadam confessio non oris, sed operis, quia pro distinctis peccatis distincta sacrificia offerri debebant, quibus sacrificiis se quisque peccatorem fatebatur; *constebantur, sed facto, non verbo: offerebant enim hostiam pro peccato, et sic ostendebant se peccasse* (Hugo Cardin. in cap. 5 Ep. Jacobi). Aliam confessionem, eamque perfectiorem in lege nova instituit Christus, cum apostolis, et eorum successoribus potestatem judicalem remittendi et retinendi peccata concessit, dicens: *quorum remisieritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Joan. 20). In ista confessione Deo facienda et homini, penitens sacerdoti confitetur: *confitemini alterutrum peccata vestra* (Jacob. 5). Ista confessio est ad salutem necessaria, pro his qui mortalibus peccatis se inquinaverunt quinque confiteri possunt; hos enim ad confessionem teneri declaravit sacrum Concilium Tridentinum dicens: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem esse jure divino institutam, vel jure divino ad salutem necessariam, anathema sit*. Ut autem distinctius et clarius hæc confessionis necessitas appareat, dicamus eam necessariam esse peccatori, habenti mortalia, ut sanetur, mundetur, et justificetur. Peccator, qui mortalibus ligatur, est infirmus, immundus, et reus; confessio autem est necessaria 1. *peccatori infirmo*, ut sanetur; 2. *peccatori immundo*, ut mundetur; 3. *peccatori reo*, ut justificetur.

1. Quodlibet peccatum est animæ infirmitas, estque infirmitas ad mortem, si peccatum mortale sit, et ideo quilibet peccator tot lethalibus laborat infirmitatibus, quot diversa mortalia perpetravit; ejusque morbi spirituales multiplicantur iuxta multiplicationem diversorum criminum: *multiplicantur sunt infirmitates eorum* (Ps. 15, 4). Deus autem confessionem sacramentalem instituit tamquam cœleste *pharmacum*, ut eo mediante infirmitates nostræ sanentur. Estque hoc remedium, et

generalissimum et efficacissimum, quia omnes penitus animæ infirmitates sanare valet. Ut enim ait D. Augustinus, peccata sunt solummodo spirituali medico declaranda; animarum nostrarum morbi sunt solum confessario manifestandi per confessionem, et statim sanabuntur: *Confitere tantummodo vulnus tuum et sanabit te Deus: nam omnium peccatorum vulnera sanantur per confessionis medicinam* (Hom. 21 in Ev.). O quam efficax illud remedium! ac simul quam maxime necessarium peccatori, ut ab animi infirmitatibus sanetur! non enim ab iis sanari potest, si eas medico spirituali, seu confessario non detegat; *si operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas tuum* (Boet., de consol. Phil. 1, 4). O peccator, vis sanari ab illa peccati lepra, quæ animam tuam fœdat et putrefacit? vis sanari ab illa paralisi, quæ te in bonis operibus faciendis tardum, pigrum, et inertem efficit? vis sanari ab illa animi cæcitate, quæ tibi rerum spiritualium notitiam subducit? vis sanari a febris luxuria, avaritiæ, et iræ, et ab omnibus animi morbis, quibus laboras? manifesta eas medico spirituali; neque enim aliter sanaberis, nisi eas confessario declares: *si operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas tuum*. Animæ tuæ morbos spirituali medico aperire renuis; ei horrendas, quibus laboras, infirmitates manifestare erubescis: pudet te, hoc et illud peccatum occultum ei manifestare; fac tamen advertas quod ab his et omnibus animi morbis hoc uno remedio sanaberis, inquit D. Augustinus, si eos confessario manifestes; *agnosce medici marum, confitere, peccatum tuum exeat in confessionem*. Itaque confessionis pharmaco omnino opus habet peccator tamquam infirmus ut sanetur, ac ulterius eodem indiget *tamquam immundus ut mundetur*.

2. In veteri lege immundus erat, qui mortuum tangebatur; in nova vero immundus est, non qui tangit mortuum, verum qui facit peccata mortalia, quæ sunt opera mortua et mortifera: *Si quis tangebatur olim mortuum, contaminabatur; et nunc si quis tetigerit opus mortuum, id est, peccatum, inquinatur per conscientiam*. Oculis corporis non patet immunditia hominis mortali peccato inquinati; eam etiam non facile conci-

piunt, qui carnis et sanguinis spiritu reguntur; ast divino Spiritu illustratus D. Anselmus, ita horrendam censebat mortalis peccati maculam et immunditiam, ut in inferno mundus a peccato, quam in paradiso immundus esse prælegisset: *mallem a peccato purus infernum intrare, quam peccati sorde pollutus, colorum regna tenere* (l. de simil.). O quales et quantæ sordes, quibus inquinatur homo peccator! Si autem ab iis mundari velit, ad sacramentale tribunal accedat; confessio enim est quasi secundus baptismus ad purgandas peccatorum mortalium sordes institutus; *in confessione omnia lavantur. Si peccata sunt, in confessione purgantur* (S. Bern. serm. de divers.). In civitate Jerosolyma plures erant januæ variis officiis destinatæ. Una erat destinata, ut per eam in civitatem portarentur carnes; ut alia per eam pisces deferrentur: hæc lignis, illa aquis, ista fructibus patebat. Ut autem luculenter adnotavit V. Beda, una erat, qua fluebant, et qua foras eiciebantur omnes immunditiæ, ita ut sordes, quæ per alias omnes portas in civitatem ingrediebantur, per istam solum foras mitterentur. Hæc non sine mysterio facta esse dicit Liranus; inde enim edocemur, omnes scelerum nostrum immunditias per unam januam, per os scilicet a nobis esse expellendas. Quot sensus externos habemus, tot nobis sunt porte patentes sceleribus, quæ animam nostram maculant, et fœdant. Per visum, gustum, auditum, odoratum et tactum in cor intrant peccata; unica est porta, per quam foras mitti debent scelerum nostrorum sordes, os scilicet, cujus confessione foras mittuntur hæ sordes, et mundatur peccator: *Bonum animæ ornamentum confessio, quæ peccatorem purgat*. Tandem necessaria est confessio peccatori reo, ut justificetur.

3. Peccator est læsæ majestatis divinæ reus, cujus peccata scripta sunt stylo ferreo in *ungue adamantino*; est reus nulla venia dignus, cum Deum suum, Creatorem suum et benefactorem suum offenderit; est reus, de quo conqueritur Deus, dicens, quod mala pro bonis ei retribuere: *retribuerebant mihi mala pro bonis*. Quomodo autem veniam obtinere et justificari poterit insignis ille reus? ut justificetur, oportet ut pec-

cata sua confiteatur, quin aliquid eorum celet vel occultet, verum omnia confessario detegat atque declaret. *Narra si quid habes ut justificeris*. In justitiæ secularis tribunalibus, si homo reus sua sciat occultare scelera, veniam facile impetrabit, et coram hominibus justus videbitur; in tribunali penitentiae, ut quis justificetur, scelera sua revelet et confiteatur necesse est. Qui enim cum possit, haud confiteatur, non justificabitur: *Non potest quis justificari, nisi peccata fuerit ante confessus*. Cum ad Lazari sepulchrum venit Christus, ut eum a mortuis excitaret, lapidem tolli jussit; quo sublato, foetidum vidit cadaver, cui imperavit, ut foras exiret; *Lazare, veni foras*. Cur non ei dixit, ut revivisceret, *revivisce*; sed ut foras exiret, *veni foras?* mysterium aperit S. Gregorius ajens, Christum ei dixisse: *veni foras*, ut doceret eos qui per peccatum mortui sunt, a peccatis suis exire, et justificari debere per confessionem: *non dicitur: revivisce; sed, veni foras, ut homo in peccato mortuus foras exeat per confessionem*. Eadem aliis verbis rationem adducit S. Ambrosius: *veni foras*, inquit, *hoc est, qui jaces in delictorum tuorum sordibus, delictum proprium prode ut justificeris*. Ecce quid necessario agere debeant peccatores, utificentur; peccata sua confessario prodere debent: *delictum proprium prode, ut justificeris*. Magnum occurrit discrimen inter hominis creationem, et ejus justificationem; ut crearetur homo, solus Deus locutus est, sola Dei vox adhibita est, nihil huic rei contulit vox humana: in hominis vero justificatione requiritur vox Dei hominis. Requiritur quidem vox Dei, seu sacerdotis vice Dei dicentis; *te absolvo*; at requiritur etiam vox hominis peccatoris semetipsum accusantis; non enim justificaretur, si proprium delictum confessario non proderet: *delictum proprium prode, ut justificeris*. Est ergo confessio necessaria peccatori, ut sanetur, mundetur et justificetur. Nec dicas, hominem in mortalia lapsum necessario quidem ea confiteri debere Deo, in quem peccavit, non autem homini. Ad hoc enim præclare respondet S. Thomas a Villanova, his verbis. Quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri. Post-

quam Filius Dei factus est homo, jam Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, quia filius hominis est: ex tunc ergo peccator a Deo Patre est Christi foro commissus, et in illo reddere rationem suam tenetur. Christus autem ascendit in cælum; cumque amplius non sit in mundo presentia corporali visibili, ut ei homo rationem possit reddere de peccatis, antequam ascenderet in cælum, commisit vices suas sacerdotibus, et eos subdelegavit ad audienda, et iudicanda peccata dicens: quorum remisistis peccata, remittentur eis. Ecce propter quid ex tunc homo peccata sua sacerdoti a Christo subrogato confiteri tenetur. Ecce confessionis necessitatem: *videamus jam confessionis sacramentalis virtutem.*

## II PARS.

### *Confessionis virtus.*

Postquam David audivit Nathan prophetam annuntiantem sibi peccatum, quod perpetraverat, dolens dixit: *peccavi*, et mox deletum ejus fuit crimen: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (2. Reg. 12, 13). Miratur Sanctus Ambrosius virtutem trium illarum sillabarum, *peccavi*, seu virtutem confessionis factæ a Davide, quæ ejus peccatum delere valuit. Ego autem miror magis virtutem confessionis sacramentalis, quæ ad Deum, ad infernum, et ad paradikum extenditur: 1. *ad Deum*, quem placat; 2. *ad infernum*, cujus flammam extinguit; 3. *ad paradikum*, cujus portas aperit.

1. Licet Deus sit summum bonum, cujus bonitas omnes penitus creaturas respicit, peccator tamen eum criminibus suis ad iracundiam provocat, et quasi exacerbat: *exacerbavit Dominum peccator* (Psalm. 9). Ipsum tamen, quem ad iracundiam movet peccator, confessio placat, ac propitium et quasi advocatum reddit: *illis non iudex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt* (D. Aug. Tract. 14 in Joan.).

Diversimode se habet Deus erga illos qui abscondunt, et illos qui peccata sua confitentur. De his enim qui peccata in sua confessione abscondunt, dicit Deus, quod non dirigetur: *qui abscondit scelera sua, non dirigetur* (Prov. 13): seu, ut explicat Hugo cardinalis, qui abscondit scelera *confessario suo*, non dirigetur ad Dominum, quia peccata avertunt a Deo. De his vero qui peccata sua confitentur, ait Spiritus Sanctus, quod ad Dominum dirigetur, quod eum placabunt, ac eum ad misericordiam flectent: *qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur*; seu, ut exponit præfatus Cardinalis, *qui ei qui potest absolvere, peccata confessus fuerit vere, pure, integre et spontaneæ, Dei misericordiam consequetur*. O magnam virtutem confessionis, quæ usque ad Dei thronum ascendit, ejus iram mitigat, eum placat, et ad misericordiam inclinat. Unde præclare dicit Chrysostomus, quod *confessio mater est indulgentiæ*. Est quidem mater indulgentiæ et misericordiæ; quæ licet cum dolore et cruciatu magno pariat, felix tamen illius partus, quia Deum placat, ac misericordiam ejus peccatoribus parturit. Querit Michæas propheta, an Deus adversus peccatores iratus placari possit hircorum et arietum sacrificiis: *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* (7, 6). Certe his hostiis non placatur nunc Deus: *holocaustis non delectaberis* (Ps. 50). Quomodo ergo placabitur Deus in peccatores iratus? Ad illos puniendos urgent justitia, potentia et omnes perfectiones divini, quæ a peccatoribus læsæ sunt: quomodo ergo placari poterit? placari potest humilis peccatorum confessione, inquit Petrus Blesensis, qui sic Christum loquentem inducit: *Si peccatum tuum operias, ego operio; si agnoscas, ignosco; si accusas, excuso; si iudicas et condemnes te, non iudico, nec condemno*. O magnam virtutem confessionis, quæ Deum in peccatores iratum placat? At magna etiã virtus ejus, quia *inferni flammam extinguit*.

2. Peccatorem a peccatis suis confessario declarandis deterrent amor, timor, et pudor: *amor*, vel vindictæ, vel scorti, vel lucri mali male parti: *timor*, vel reconciliationis, vel resti-

tutionis, vel separationis a scorto: *pudor* tandem declarandi peccata occulta, pudenda et enormia. His ita a confessione removentur multi, ut toto vite suæ tempore jejunare, et alia durioris penitentiae opera exercere mallent, quam peccata sua confessario aperire. Multa tamen peccatorem ad triumphandum de seipso, et ad omnia mortalia quæ perpetravit declaranda, movere debent: Deus scilicet, qui ea confiteri jubet; gratia divina quæ mediante confessione obtinetur; Dei amicitia quæ per eam comparatur; conscientiae quies quæ acquiritur, et alia multa emolumenta, quæ per confessionem debite factam impetrantur: ast magnum motivum, quo allici debet peccator ad confitenda peccata, est virtus quam habet confessio extinguendi gehennæ incendia. Hoc motivo peccatores ad peccata sua confitenda urgebat Pacianus episcopus, dicens; si durum vobis est peccata confessario declarare, serio perpendite, quod humili confessione æternas tartari flammæ potestis extinguere; *si de cruciati exomologesis detrectatis, gehennam recordamini, quam exomologesis extinguit*. Heu! si qui nunc in inferno torquentur, tartari flammæ sibi quocumque modo extinguere valerent, quas lacrymas ad hunc ignem restinguendum non funderent? quos gemitus non ederent? quæ suspiria non emitterent? quam peccatorum confessionem non facere vellent? omnia quidem sua scelera, quantumvis horrenda, coram Angelis et hominibus, ac in mediis plateis et foris libenter, et hilariter propalarent. O peccator, hæc gratia, quæ damnatis denegatur, tibi a Deo conceditur. Non te exigit Deus, ut peccata tua palam declares; solummodo ut cum humilitate et cordis contritione clam ea confessario reveles, et humilis hæc confessio parata tibi inferni incendia extinguet; *gehennam recordamini, quam exomologesis extinguit*. Job, vir sanctissimus, in amaritudine cordis sui loqui statuit; *loquar in amaritudine animæ meæ*. Postquam autem se in amaritudine animæ suæ locuturum dixit, audacter et fidenter subdit; *dicam Deo, noli me condemnare*. Cur tanta cum confidentia loquitur? cur tam audacter Deum affatur? cur non rogat eum, ut ipsum ad inferni supplicia non condemnet? cur non humiliter eum de-

precatur, ut horrendis hisce tormentis ipsum non adjudicet? audacter ait, *dicam Deo, noli me condemnare*. Ratio cur tam libere loquitur, est; quia prius locutus, et in amaritudine animæ peccata propria confessus erat; hac enim confessione jus habebat petendi, ne ad inferni supplicia condemnaretur; quia, ut ait Sanctus Gregorius, humilis confessio extinguit inferni incendia; *qui peccatorem se in amaritudine animæ asserit, quid Deo aliud, quam ne condemnetur dicat? quia amaritudo præsentis penitentiae extinguit supplicia sequentis iræ*. O magnam confessionis virtutem, quæ inferni flammæ extinguit ac etiam paradisi portas aperit.

3. In cruce duo erant latrones: utriusque clausus erat paradisi aditus; æternales has portas ambo sibi criminibus clauscrant; unus tamen illorum a Christo audire meruit: *hodie mecum eris in paradiso* (Luc. 23). Hic ergo paradisi sibi janua aperuit; qua arie? qua virtute? virtute quidem confessionis, quia palam peccata sua confessus est, dicens: *nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil male gessit* (Ibid.). Alter latro paradisi sibi non aperuit, et æternam damnationis poenam incurrit, quia peccata sua confiteri noluit. Ecce quid præstet humilis peccatorum confessio; ecce magnam confessionis virtutem, quæ regni cælestis fores reserat; *vides quanta res sit confessio; confessus est, et paradisi aperuit* (S. Aug. de Civ. Dei 23). De regni cælestis ostio intelligi possunt hæc regii prophetae verba: *hec porta Domini, justi intrabunt in eam* (Psal. 117). Nemo in civitatem illam cælestem ingredietur, quin justus et sanctus sit, quia *non intrabit in eam aliquid coinquatum*. Qua ergo ratione eo intrant latrones, adulteri, et usurarii? qua virtute illic ingredi valent sacrilegi, simoniaci, et omnis generis peccatores? virtute confessionis, quæ ipsimet cælo vim inferat, ac portas ejus reserat, ita ut omnibus peccatoribus pateant, si debite confiteantur, et a peccatis absolvantur: ut enim perbelle dixit Augustinus: *confessio obstruit os inferni, portas aperit paradisi*. Homini in statu peccati mortalis existenti patent inferni fores, et clausæ sunt paradisi januæ: si debite pec-

cata sua confiteatur, tanta est confessionis virtus, ut inferni portas claudat, et paradisi portas ei aperiat: *confessio obstruit os inferni, portas aperit paradisi* (S. Aug. de util. pœnit.). Qui innocentiam intactam servant, sine confessione in cœlum intrare possunt; qui vero mortalibus peccatis suam perdidere innocentiam, in cœlum intrare non possunt, nisi per confessionem, aut actualem, si confiteri possint, aut in voto si peccata sua confiteri non possint. Hæc peccatorum confessio est eis absolute necessaria ad salutem; hæc est sola porta, qua in paradysum intrare valent: *ut tibi cœlum aperiatur, aperi os tuum sacerdoti: hæc sola est porta paradisi* (D. Aug. in Psal. 117). Ergo cum confessio virtutem habeat placandi Deum, extinguendi flammæ inferni, et aperiendi portas paradisi; Dei iudicia humili præveniamus confessione: *præoccupemus faciem ejus in confessione* (Ps. 94), quæ tamen requisitis qualitatibus non careat; de quibus mox aliquid disseremus.

### III PARS.

#### *Confessionis qualitates.*

Paucas aliqui, et multas alii assignant confessionis qualitates. Non desunt qui eas usque ad quindecim et sexdecim pretendant; quas versibus quibusdam rithmicis enunciare solent. Ex his omnibus qualitatibus et conditionibus tres præcipue ad bonam confessionem desiderantur; imo et hæ tres solummodo requiri videntur. Nempe quod confessio sit præmeditata, integra, et humilis. Confessio debet esse 1. *præmeditata*, sine negligentia; 2. *integra* sine divisione; 3. *humilis* sine excusatione.

1. Divinos suos vocari præcepit Nabucodonosor, quibus, cum venissent, dixit: *somnium et interpretationem ejus indicate mihi*. Qui responderunt illi: rex, dic somnium tuum, et interpretationem ejus indicabimus. Iratus Nabuchodonosor, ab iis iterum petiit, ut non solum somnii, quod habuerat, interpre-

tationem darent, verum etiam ut ipsum somnium indicarent: *somnium et interpretationem indicate mihi*. Ecce quomodo se habeant multi peccatores: post annum ab ultima confessione elapsum, imparati et absque ullo prævio conscientiæ suæ examine ad confessarium accedunt; coram illo muti hærent; mox, aliquo peccato patefacto, dicunt confessario: Pater interroga me; somnium et interpretationem ejus indica mihi; vaticinare, divina, quæ fecerim. O qualem negligentiam! certe timendum, ne hujusmodi peccatores in Dei maledictionem adversus negligentes prolatam incurrant: *maledictus qui facit opus Domini negligenter*. Si enim unquam excutienda negligentia, tunc maxime cum ad confitendum per sui discussionem se conscientia præparat; quæ discussio sive examen qua majori fieri potest cura ac studio perficiatur oportet: *redi ad cor tuum, et diligenter discute te ipsum*, inquit sanctus Bernardus. Quod et expresse in Concilio Tridentino declaratur his verbis: *peccator debet seipsum diligenter excutere, et conscientie sinus omnes, et latebras explorare*. Ad prævium hoc examen vocari debent omnes cogitationes iniquæ, omnia verba et opera nostra mala: *discutiamus cogitationes, locutiones, atque opera nostra*. Hæc conscientie discussio tali cum diligentia et solertia fieri debet, qualis adhiberi solet in negotiis arduis: *tenetur quilibet facere inquisitionem qualem meretur negotium arduum boni viri arbitrio, pro ratione vite suæ, et negotiorum* (Trid. sess. 14). Sic loquitur Concilium Tridentinum; et asserunt theologi, quod, si defectu sufficientis examinis quis in confessione non declarat mortale aliquod peccatum quod perpetravit, confessio ejus nulla foret et sacrilega: quia sicut nulla et sacrilega est confessio, cum quis voluntarie mortale quoddam reticet, ita etiam nulla et sacrilega est, cum quis defectu necessarij examinis mortale aliquod in confessione non declarat: ideo confessio debet esse præmeditata sine negligentia: ac etiam *integra sine divisione*.

2. Non requiritur integritas confessionis quoad peccata venialia; cum enim non sint materia necessaria pœnitentiæ, sed solum sufficiens, unum declarari potest, et aliud reticeri. Ali-

ter tamen se res habet quoad peccata lethalia, quorum confessio debet necessario esse integra, ita ut pœnitens, quantum moraliter fieri potest, species et numerum peccatorum suorum, ac circumstantias saltem speciem peccati mutantis; *si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam cum occulta... et eas circumstantias, quæ peccati speciem mutant; anathema sit* (Trid. sess. 14, can. 7). Hæc sunt verba Concilii Tridentini, quibus constat ad integritatem confessionis requiri: *primo*, ut pœnitens numerum peccatorum declaret; seu quod omnia et singula peccata mortalia, quorum memoriam habuerit, confiteatur. Quod intelligendum etiam de numero peccatorum in eadem specie; ita quod pœnitens teneatur dicere, quoties in vanum juravit, quoties fornicatus est, et quoties quodlibet peccatum mortale perpetravit. Si vero adhibita morali diligentia, non occurrerit pœnitenti numerus omnino certus, sufficit quod declaret numerum verisimilem, qui plus minusve a certo parum distare creditur. Cum autem neutro ex dictis modis potest pœnitens declarare certum peccatorum suorum numerum, tunc sufficit, quod consuetudinem peccandi, tempus quo illa permansit, et modum frequentie per dies, vel hebdomadas, quoad fieri poterit, declaret. Ratio eorum omnium est, quod pœnitens non tenetur ad impossibile, et ideo sufficit, si faciat, quod moraliter fieri potest. Ecce primum quod requirit Concilium ad integritatem confessionis; quod scilicet numerum peccatorum mortalium pœnitens confiteatur. *Secundo* ad integritatem confessionis requirit Concilium, ut pœnitens declaret circumstantias speciem peccati moraliter mutantis: ita ut si in quolibet mortali peccato, quod quis confitetur, occurrat aliqua circumstantia speciem mutantis, illa sit explicanda; hac de causa qui furatus est rem sacram, non sufficit si dicat se furatum esse, ni addat se furatum *rem sacram*; quia circumstantia rei sacræ novam malitiam furto addit. Qui concupivit, vel peccavit cum muliere, debet expri-

mere, an sit matrimonio juncta, consanguinea, vel religiosa, cum hæ circumstantiæ mutant speciem, et earum declaratio necessaria sit ad integritatem confessionis. Quando tamen pœnitentes nesciunt discernere diversitatem specierum mortalium, confessorum scientia et diligentia debent in hoc supplere ignorantiam pœnitentium. Quam demum morali diligentia non defuit tum ex parte confessarii, tum ex parte pœnitentis, si quid nihilominus ignoratum fuerit, et ea ratione prætermisum, nihil obstat valori confessionis. Ecce integritatem, quæ requiritur in confessione: at confessio debet etiam esse humilis *sine excusatione*.

3. Postquam de ligno vitæ comedit, et Dei præceptum violavit Adam, excusavit se et in mulierem culpam retulit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*. Quæsit ab Eva Deus, cur hoc fecisset? excusavit se etiam mulier, ajens se a serpente deceptam: *serpens decepit me*. Quod primi fecere parentes, hoc et eorum filii agere solent; multi enim in confessione se excusant, et in alios ita culpam transferunt, ut non tam ipsi, quam alii peccasse videantur. Aliqui vel fato, vel astris peccata sua stulte impuntant: alii peccata sua excusantes, eorum auctorem Deum impie faciunt, dicentes: Deus hoc voluit. Diabolus accusant alii, dicentes: diabolus me deceptit. Multi uxorem, filios, fratres, et alios criminum suorum occasionem et causam fuisse dicunt: in vanum, inquam, nomen Domini assumpsit, sed uxoris malitia compulsus sum: ira accensus hominem percussit; ejus autem imprudentia ad hoc me movit: furatus sum, at urgens coëgit me necessitas. O filii Adæ, ut quid imitaminei protoparentis excusationes in peccatis? ut quid declinatis corda vestra in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis? Tollite istas excusationes, et humiliter peccata vestra confitemini prout reipsa sunt absque ulla excusatione, quæ eorum malitiam minuât. *Tolle istas excusationes in peccatis, et memento illius verbi: Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis* (S. Aug. in Ps. 140). Rogat Deum propheta ut labiis suis ostium ponat: *Pone Domine custodiam*

*ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (Psalm. 140, 3). Cur non a Deo petit regius vates, ut ori suo ponat claustrum, quot ita claudatur, ut aperiri nequeat; sed ostium, quod nunc aperitur, et nunc clauditur? Ex ore prodeunt perjuria, blasphemie, mendacia, convicia, et innumera alia verba mala: ac proinde congruum videtur, ut a Deo os suum totaliter claudi postulet sanctus propheta: cur ergo non a Deo petit, ut suum penitus os claudat? Respondet Augustinus, sanctum regem a Deo petere, ut ori suo ponat, non claustrum, sed ostium quod aperitur et clauditur: quia os in confessione aperire et claudere quisque debet, aperire quidem, ut peccata sua perspicere et integre confiteatur: claudere vero, ut in confessione nulla ex eo egrediatur excusatio: *non dixit claustrum, sed ostium quod aperitur, et clauditur: ergo si ostium est, aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati*. Non prohibetur penitenti, dicere circumstantias peccatum minuentes, quin imo illa dicere debet, ut confessarius peccata ejus talia cognoscat, qualia sunt; verum prohibetur ei, malitiam peccati velare, minuere vel vanis ac malignis excusationibus mutare: non debet cor et os suum inclinare ad sic excusanda peccata: *non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*. Qui enim sic sua excusat peccata, peccatis præteritis nova adjungit peccata: *cum excusamus, peccata peccatis jungimus* (D. Hier. in Psal. 140, v. 4). Qui sua ita excusat peccata, ut mortale aliquid suis excusationibus tamquam non mortale, vel tamquam non peccatum declaret; mortaliter peccat, et sacrilegium perpetrat. Itaque a pessimis his excusationibus abstinete, ne peccata excusationibus tegatis vel minuatis; testes estote adversum vos; adversum vos injustitias vestras dicite: imitami prophetam qui adversum se loquebatur: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (Ps. 31). Adversum me, ut exponit sanctus Bernardus: *arguens et excusans*. Eodem modo arguite vos, accusate vos humiliter et simpliciter. Sit tandem confessio vestra præmeditata sine negligentia; *integra sine divisione; humilis sine excusatione*; et hujusmodi confessio vos sanabit, munda-

bit, et justificabit: hæc etiam confessio Deum placabit, inferni flammæ extingnet, ac paradisi portas vobis aperiet. *Amen*.

## FERIA II POST DOMINICAM TERTIAM.

## DE INVIDIA.

*Duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum* (Luc. 4, 29).

Si quis scire cupiat, unde suam trahat originem invidia, mente sursum feratur, et in cœlo invidiæ protoparentem inveniet diabolum, qui mox a creatione sua prævidens, Verbum æternum non Angelicæ sed humanæ naturæ uniuendum, homini invidit, et ideo ad æterna supplicia damnatus est. Nam ut ait D. Augustinus (*de disc. Christ.*): *Invidia vitium diaboli est, cum quo solo diabolus reus est. Non enim dicitur diabolo, ut damnetur; adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed homini invidisti*.

A cœlo in paradysum terrestrem descendit invidia: ibi enim idem diabolus videns, hominem esse in statu felici eumque a terrestri ad cœlestem paradysum migraturum, ejus invidit felicitati, utque illum a tanti boni assecutione impediret, tentavit, debellavit illum; et sic *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. 2, 24). A terrestri paradiso egressa invidia, in omnes terræ partes se diffudit; intravit in domos sæcularium et regularium, laicorum et clericorum; nec aliquis inveniri potest locus, in quo venenum suum non effuderit. Jamvero pessimo hoc veneno potissimum toxicati fuere Judei, qui invidia in Christum tabescentes, et ægre patientes, quod infirmos multos sanaret, aliaque plurima miracula faceret, ejecerunt eum extra civitatem, et *duxerunt illum usque ad supercilium*